



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinae, Sacr. Theologiae, Ac I. V. D. Vticensis  
Episcopi, Tractatus De Legitima Svmmi Pontificis  
electione, iuxta Summorum Pontificum, praesertim  
Gregorij XV. & Sanctiss. D. N. Vrbani ...**

**Bonacina, Martino**

**Lvgdvni, 1637**

Additiones Ad Tomvm III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10669**

ADDITIONES  
AD  
TOMVM III.

**D**ISP. I. quæst. 15. punct. 4. §. 5. fol.  
121. column. 2. num. 2. circa finem;  
in linea, quæ incipit, & reiiciendam  
esse, post hæc verba. Adde, Cùm Pontifex non  
acceperit potestatem à populo, sed à Deo; ergo, &c.

Disp. I. quæst. 16. punct. 3. fol. 127. col. A.  
sub num. 5. §. Addo hoc, ita se habet cum suis  
adiunctionibus. Addo, hoc priuilegium ante  
sententiam Iudicis extendi ad Clericos, qui prima  
Tonsura, vel Ordinibus ab alieno Episcopo, sine  
litteris dimissoriis initiati sunt; adhuc enim vo-  
cantur Clerici in Domini sortem vocati, & è Lai-  
corum grege extracti, donec per Iudicis sententiam  
declarentur priuati priuilegio. Ita Doctores citan-  
di. Idem militat in eo qui Ordines suscipit ab Epi-  
scopo excommunicato, suspenso, deposito, vel degra-

T 2 dato.

dato. Vide dicenda disp. 3. quæst. I. puncto II. n. 20.  
Et sequent.

In eadem col. circa finem, vers. Respondeo secundo, eo absoluto. Adde, *An autem ordinatus prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus ab alieno Episcopo, cum falsis dimissoriis gaudet Privilégio fori, explicabitur loco citato; ubi ostendam post sententiam Ecclesiastici Iudicis, non gaudere, iuxta Constitutionem Urbani VIII.*

Disp. 2. quæst. 2. punct. 16. fol. 246. col. I. post medium vers. Ex quo sequitur, eo absoluto; Adde, sed contrarium declarauit S. Congregatio Concilij sess. 4. apud Mazillam, & alios.

Ibid. quæst. 3. punct. 16. §. 4. folio 304. col. 2. num. 14. eo absoluto; Adde; Ideò sacra Cardinalium Congregatio referente Illusterrimo Cardinali Lanте, sub 17. Nouembris 1617. Episcopo Marsensi rescripsit: Cappellas priuatorum palatiorum immunitatis Privilégio non gaudere.

Ibidem quæst. 3. punct. 16. §. 7. fol. 311. col. I. ante num. 4. Adde. Ideò in Congregatio ne, sacrae Consultæ 17. Nouembris 1617. decisum fuit, eos fuisse tutos in Ecclesia, qui in porticu Ecclesiae quendam ex prævia rixa occiderant, seque postea in Ecclesiam receperant; quia non dicuntur occidisse in Ecclesia, vel Cœmeterio. In fauoribus enim fit latior interpretatio; sed in odiosis, & pænalibus

nalibus strictior, ita ut delinquens in porticu non possit dici delinquere in Ecclesia. Remigius de Goni. de immunitate ampliat. 2. Ioannes de Fisch, de immunitate, numero 60. & alij.

Ibidem quæst. 10. punct. 16. fol. 465. col. 2. ante num. 5. post verba, ff. de legat. 1. Adde, tunc quia hic non defert præfata arma sub clypeo facultatum, ut suppono.

Disp. 3. quæst. 1. punct. 11. fol. 494. col. 2. num. 2 1. eo absoluto. Adde, Ratio est, quia huiusmodi ordinatio irrita est, quoad executionem, licet non sit irrita, quoad substantiam.

Ibidem quæst. 8. punct. 3. fol. 548. col. 1 ante quartum punctum. Adde. Tertio dubium. est, an Abbas Privilegium habens conferendi Tonsuram, & minores Ordines suis subditis Regularibus, valide conferat Tonsuram, & minores Ordines ei, qui re ipsa sibi subditus non est, eo quod professionem inualidè emiserit; quem tamen subditum putat.

Respondeo collationem Ordinum validam esse, & non iterandam. Ratio est; tum quia collatio Minorum Ordinum non est actus iurisdictionis præcisè, sed est functio Ordinis Sacerdotalis, cap. cum contingat de ætate, & qualitate; functio autem Ordinis non irritatur, in quoscunque exerceatur; tum quia ita expressè declarauit sacra Cardinalium

Congregatio, sess. 23. cap. 10. cuius declaratio refer-  
tur à Petro Mazilla, à Io. Gallemart, & à Farinaccio  
in declarat. Cardinal. sess. 23. cap. 10. Et alia anti-  
quiora iura non irritant collationem Ordinum ali-  
ter factam, nec utuntur verbo, non potest, sed ver-  
bo, non licet, quæ loquendi forma prohibet collatio-  
nem Ordinum, sed non irritat aliter factam. Ita meo  
indicio sentire debent omnes illi Doctores, qui do-  
cent, minores Ordines esse Sacra menta, quorum Mi-  
nister constitutus est à Deo, non ab Ecclesia. An verò  
specialiter collatio Tensaræ teneat, colligitur ex su-  
pradicatis quest. I. punct. II. num. 20.

F I N I S.



